

medicinis, pro linteamibus, & aliis in curatione necessariis, deductis tamen iis, quae ipse, si sanus esset, insumpturus fuisset in suo vultu ordinario; Communis, per textum in §. 1. Instit. de obligationibus, quae ex quasi delicto nascuntur, & in l. Cum liberi 7. ff. De his, qui effuderint, vel deiecerint, cap. Si rixati 1. de iniuriis, & damno dato.

3 Item restituere debet lucrum cessans, & damnum emergens ratione occisionis, vulnerationis, aut mutilationis, ut si interfectus haberet officium proficuum, beneficium, censum vitalitium, & hujusmodi, si vulneratus, vel mutilatus, esset opifex, sutor, sartor, & hujusmodi, & pendente curatione, seu stante mutilatione, v. g. manus, aut pedis, esset inutilis ad consuetam suam opera, & lucra pro se, & sua familia sustentanda: Communis, per text. in cit. §. 1. Instit. de obligationibus, quae ex quasi delicto nascuntur, & in cit. cum liberi 7. ff. de his, qui effuderint, vel deiecerint, cap. Si rixati 1. de iniuriis, & damno dato.

4 Item restituere debet damna omnia realia simul per accidens illata in bonis fortunae, famae, vel honoris, ut si latro hominem, vel ejus domum spoliasset, graviter difformasset, si ejus domum effregisset, aliave damna intulisset, ad hoc ut eum occideret, vulneraret, seu mutilare posset; Communis.

5 Restituenda tamen non sunt expensae factae pro funere occisi, quia tales expensae aliquando faciendae essent, cum aliquando deberet ille mori; excipit tamen, nisi ratione necis illatae, verb. grat. extra patriam in loco alieno majores sumptus fieri oportuisset, tunc enim restituendum erit pro excessu; Communis contra Navarrum in manuali cap. 15. num. 22. ubi nimis rigide dicit esse restituendas expensas moderatas juxta defuncti qualitatem, quia eorum etiam fuit causa occisor.

6 An autem pro vita, membro, cicatrice sit aliqua facienda restitutio, variant Doctores; Glossa enim in v. Si rixati 1. de iniuriis, & damno dato, Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 23. Vasquez de restitutione cap. 2. §. 3. dub. 5. Navarr. in Manuali cap. 24. n. 22. Laym. lib. 3. tracl. 3. part. 3. cap. 6. num. 2. Felix Potestas tom. 1. part. 2. num. 2103. Sporer loc. cit. num. 221. La Croix lib. 3. part. 2. num. 299. cum 44. aliis Auctoribus ibi relatis, Lugo tit. 1. disp. 4. sect. 1. num. 5. & ipso teste Recentiores communiter tenent, de rigore Justitiae commutativae, nullam faciendam esse restitutionem praecise pro vita, membro, vel cicatrice relicta, cum nunquam sit obligatio restituendi in bono diversi generis. Notum est enim, quatuor esse genera, seu ordines bonorum. In primo genere sunt bona Animae, sive spiritualia. In secundo sunt bona famae, & honoris. Et in quarto sunt bona externa, & temporalia fortunarum.

7 Unde pro hac sententia afferitur inter alias haec ratio à priori, quia Justitia commutativa habet pro objecto formalem aequalitatem; respicit enim essentialiter aequalitatem inter Jus, & Jus, inter datum, & acceptum; quare ubi haec aequalitas poni non potest, cessat tota obligatio Justitiae commutativae, & restitutionis; Haec autem aequalitas nequit poni inter bona diversi generis, & ordinis, sive superioris, sive inferioris, cum solum bona ejusdem generis, & ordinis, secundum aequalitatem inter se commensurari possint, adeoque praecise pro vita corporali, vel membro absciso nulla fieri debet de rigore Justitiae commutativae restitutio, neque per bona spiritualia, cum haec sint diversi generis, & altioris ordinis, quam vita corporalis; neque per bona temporalia, cum haec sit longe inferioris ordinis, quam ipsa vita, & integritas corporalis, quae nullo pretio temporali esse aestimabilis, textu expresso in leg. Praetor 1. §. 5. ff. de his, qui effuderint, vel deiecerint, ibi: In homine libero nulla corporis aestimatio fieri potest, & leg. Cum liberi 7. ff. eod. ibi: Liberum corpus nullam recipit aestimationem. Et concordant leg. Ex hac lege 3. ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, leg. Qua actione 7. & leg. Liber homo 13. ff. ad legem Aquiliam, cum similibus, in quibus omnibus aperte supponitur praecise pro vita, aut membro hominis libe-

ri non esse aliquid restituendum. Quod clare indicat Sacra Scriptura Exodi 21. num. 19. ubi dicitur, percussorem fore innocentem, id est, liberum, si percussor non moriatur; dummodo operas solvat, ac expensas in Medicos restituat, ibi: Si rixati fuerint viri, & percussit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo, nisi surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus, & impensas in Medicos restituat, ubi cum nulla mentio fiat de restitutione pro vulnere, sed pro solis operis, & expensis, significatur non esse talem obligationem. Et hanc sententiam ad longum inter alios defendunt, solvendo etiam contraria, Lugo loc. cit. d. num. 5. & La Croix loc. cit. d. num. 299. ibi videndi.

Alii autem, & signanter S. Thomas 2. 2. quaest. 62. art. 2. ad 1. Scotus in 4. dist. 15. quaest. 3. n. 6. Reiffenst. Theol. moral. tracl. 9. dist. 3. quaest. 4. num. 54. Cajetanus, Gabriel, Adrian. Major. Angelus, Sotus, Azorius, Beja, Molina, Aloza, Tannerus apud La Croix loc. cit. num. 299. Silvester, Mercado, Armilla, Arragon. Corduba, Ludovicus Lopez, Covarrub. & Victoria apud Card. de Lugo loc. cit. num. 4. & alii apud ipsos, docent, etiam pro vita, membro, vel cicatrice relicta, aliquam esse faciendam restitutionem, quamvis in diverso genere, & ordine bonorum; quam sententiam vere probabilem dicunt etiam Sporer loc. cit. num. 220. La Croix loc. cit. num. 299. & alii plures ex citatis pro contraria opinione.

Et ratio hujus sententiae inter alias est, quia cum non potest reddi aequalitas, debet reddi quod possibile est, ut recte dicit S. Thomas 2. 2. quaest. 62. art. 1. ad 1. ibi: In quibus non potest recompensari aequalitas, sufficit, quod ibi recompensetur quod possibile est, & ideo quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquod aequale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personae secundum arbitrium boni viri. Et idem habet in 4. dist. 15. quaest. 1. art. 5. quaest. 1. ad 2. Juxta enim communem scitum impossibilitas excusatur à tanto, non autem à toto, nisi totum sit impossibile. Unde qui debet centum, & non potest dare centum, potest autem dare quinquaginta, certe tenetur ad quinquaginta; adeoque licet interfecto non possit pro vita reddi aequalitatem in eodem genere, & ordine, cum id possit solus Deus, qui occidit, & vivere facit, debet ei reddi id, quod est possibile, quamvis in diverso genere, & ordine, maxime aliquid, quod ei utile, vel gratum sit, ut sacrificia, preces, elemosinae, aliaque suffragia, & consequenter homicida obligatur eo casu ex justitia saltem ad talem restitutionem spirituales in quantum in illis potest esse compensatio in commodum occisi.

Tum quia occidens bovem, vel equum, aut canem alienum, ultra peccatum commissum, tenetur etiam ad restitutionem, ut fatentur omnes, & tamen bona fortunae sunt longe inferioris ordinis, quam ipsa vita corporalis; ergo multo magis obligatur ad restitutionem qui occidit, vel mutilavit hominem, cum vita, & integritas corporalis hominis sint bona altioris ordinis, aliis mellioris esset conditionis occidens, vel mutilans hominem, quam occidens, vel mutilans bovem, vel equum, seu canem, cum hic tenetur ad restitutionem, & non teneretur ille. Unde recte dicit Scotus in 4. dist. 15. quaest. 3. num. 6. Qui nec tantam restitutionem velit facere, non potest omnino esse immunis à restitutione, sicut quidam fatui faciunt, qui absolvent homicidas non est ostendentes restitutionem necessario incumbentem, quas facilis possit transire homicida, quam (ut dicam) canicida, vel bovicida, quia si quis occidisset bovem proximi sui, vel canem, non absolveretur sine restitutione; tenetur ergo ad restitutionem spirituales, vel aequivalentem vitae, quam abstulit, sicut potest

aequivalentia in talibus. Et Scotum videtur sequi S. Anton. 2. part. summa theol. tit. 2. cap. 2. §. 2. ibi: Quantum ad secundum, scilicet, de mutilatione, dicit Scotus, quod pro hujusmodi non est statuta poena in ecclesia, nisi pecuniaria, & S. Bernardin. Senensis Sermon. 36. in feria 3. post Dominicam 4. quadragesimae art. 2. cap. 3. ibi: Talis mutilans (secundum Scotum) obligatur, ut satisfacionem afflictionis illius mutilati, quae sibi perpetua est, cum vivere sine oculis, aut sine manu triste sit, & maxima poena; Propterea tenetur vel ad alia superimpedenda, ex quibus onera, & tristitia, quas ex tali lesione incurrit, consolabilis, utque levius ferre possit.

Et ad haec facit textus in Sacra Scriptura; Exodi 21. num. 22. ibi: Si rixati fuerint viri, & percussit quis mulierem pregnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint, ex quibus verbis patet, quod pro vita prolis occisae debet fieri compensatio pecuniae. Item ibid. num. 26. Si percussit quisquam oculum servi sui, aut ancilla, & lucos fecerit, dimittes eos liberos pro oculo, quem eruit, ibi enim statuitur usum oculi erui esse vindictam compensandam. Concordant etiam textus in Jure civili, leg. Praetor ait 1. ff. de his, qui effuderint, §. 5. ibi: Cum liber homo perit, damni aestimatio non sit in duplum, quia in homine libero nulla corporis aestimatio fieri potest, sed quinquaginta aureorum condemnationi fit; ubi ut sonant allata verba, homicidia propter homicidium condemnatur ad dictam pecuniam summam solvendam; leg. Praetor edixit 7. ff. de iniuriis, §. 6. ibi: Possit hodie de omni injuria, sed & de atrociori civiliter agi Imperator rescripsit, ex quo textu patet dari actionem civilem ad compensandam pecuniam injuriam acceptam; Item Instit. de obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur §. 1. ibi: Ob hominem vero liberum occisum quinquaginta aureorum poena constituitur, ubi stat clarum, homicidium propter vitam homini ipse ablatam condemnari ad solvenda quinquaginta aureorum pecuniarum summam. Unde plures Doctores ex citatis pro contraria opinione fatentur, pro damno vitae, mutilationis, seu cicatricis, ac pro injuria deberi satisfactionem quandam signis doloris, & petitione veniae, & interdum adesse obligationem ad aliquam pecuniarum satisfactionem, praesertim si heredes occisi sint pauperes, aut pauperes sint ipsi mutilati, seu percussi.

Ad citatos tamen textus tum Sacrae Scripturae, tum Juris civilis respondere solent patroni contrariae sententiae, quod ille leges sunt poenales, quibus juste potuit imponi occisori, mutilatori, aut percussori multa illa in poenam homicidii, mutilationis, aut percussiois, & sic pro occisione, mutilatione, aut percussione, etiam praecedendo à damno, potest à Judice per Justitiam vindicativam imponi poena dandi pecunias, quas dando satisfiet non Juri, quod ratione damni illati habebat occisus, mutilatus, aut percussus, sed Juri nostro per sententiam Judicis acquisito; Certum enim est, quod per Justitiam vindicativam possit à Judice imponi, ut quis pro injuria circa bonum unius generis, seu ordinis, tenetur praestare aliquid in bonis alterius generis, seu ordinis, faciendo ut lesus acquirat Jus ad hoc bonum alterius generis, seu ordinis, Juxta enim jus poenae delicta per poenam, quam censet esse convenientem. Unde haec compensatio non oritur ex Justitia commutativa, sed solum ex Justitia vindicativa.

Quidquid autem sit in hac tam celebrati controversia variis validis rationibus & auctoritatibus pro utraque opinione suffulta, fatentur tamen, & consulunt omnes utriusque sententiae Doctores, quod sicut Juxta opinionem fore externo juste imponit multam pecuniarum occisori, mutilatori, aut percussori, offenso, vel ejus hereditas applicandam; Ita Confessarius in foro interno, seu foro conscientiae, debet imponere occisori, mutilatori, aut percussori opera spiritualia, sacrificia, preces, elemosynas, & hujusmodi, Animae occisi, seu profectui spirituali mutilati, aut percussi aequi-

plenda; in aliqualem compensationem; sive dein ad id tenetur ex Justitia, sive solum ex charitate, seu naturali aequitate.

Convenit pariter omnes, quod si ex mutilatione, 14 percussione, aut cicatrice sit aliquid damnum secutum; ut in puella, quae ob deformitatem ex mutilatione seu cicatrice contractam non potest nubere pari, debet illi tale damnum juxta prudentis aestimationem compensari. Communis, argum. §. 1. Instit. de obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur, leg. Cum liberi 7. §. de his, qui effuderint, vel deiecerint, cap. Si rixati 1. & cap. Si culpa 9. de iniuriis, & damno dato; Qui enim occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, ut expresse dicitur in cit. cap. Si culpa, & concordat leg. Qui occidit 40. ff. ad legem Aquiliam.

Item conveniunt omnes, quod si occisus, vel mutilatus fuerit servus, tunc etiam pro vita, & membris faciendae sit restitutio, quia servi vita est pretio aestimabilis, ac proinde tantum debet restitui, quanti potuisset vendi, & pro mutilatione, seu cicatrice tantum debet compensari, quanto pluri sine illa mutilatione, seu cicatrice venderetur. Communis, argument. §. 1. Instit. de obligationibus, quae quasi ex delicto nascuntur, leg. Praetor ait 1. ff. leg. Cum liberi 7. ff. de his, qui effuderint, vel deiecerint.

Occidens injustum invasorem, vel provocantem, 16 seu voluntarie consentientem in pugnam, non tenetur ad restitutionem damnorum inde secutorum, quia tales censentur renuntiare Juri suo, & alter jus habet faciendi, quod in se est, ad se indemnem, & illasum servandum. Lesius lib. 2. cap. 9. dub. 2. Layman lib. 3. tracl. 3. part. 3. cap. 6. num. 5. Molina tracl. 3. disp. 82. Sporer loc. cit. num. 26. Stephanus à Sancto Paulo tit. 4. dist. 5. num. 30. La Croix loc. cit. num. 305. & alii passim.

Si vero quis contra injustum invasorem graviter 17 cedat moderamen inculpatae tutelae, faciendo nempe plus, quam necesse sit ad sui defensionem, verb. grat. occidendo, cum solum vulneraret, vel mutilando se defendere potuisset, probabilis tenetur ad integram restitutionem totius damni, quia qui damnum injuste infert culpa mortali, tenetur ad integram restitutionem; talis enim graviter excedendo moderamen inculpatae tutelae in sua defensione, occidendo, cum solum vulnerando se defendere potuisset, damnum homicidii injuste intulit culpa mortali, adeoque obligatur ad integram restitutionem totius damni. Ita Navarrus in manuali cap. 15. num. 27. Ludovicus Lopez 1. part. Instruitorii novi cap. 72. Petrus à Navarra, lib. 4. de rebus, cap. 5. num. 99. Vasquez de rebus, cap. 2. §. 3. dub. 4. Sanchez lib. 1. conril. cap. 4. dub. 9. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 21. Turrian. disp. 78. dub. 4. Illung. lib. 4. disp. 2. num. 83. Sporer loc. cit. num. 47. Lugo tom. 1. disp. 21. num. 59. ubi dicit, sic tenere alios Recentiores passim, La Croix lib. 4. part. 2. num. 305. ubi dicit, sic tenere alios communiter contra Silvestrum, Angelum, Sotum, Ledesnam, Arriagam, Salonium, Cordubam, Rosellam, Molinam, aliosque Antiquiores communiter apud Lugo loc. cit. num. 51. docentes non esse obligationem restituendi tunc integre totum damnum, sed solum partem damni compensandi secundum portionem excessus moderaminis inculpatae tutelae prudentis judicio dimetiendam. Et haec sententia est vere probabilis, quia multo minus peccat, & injuriam facit, qui sic invasus occidit, quam qui sponte, & non invasus. Sic etiam Lessius cit. c. 9. dub. 21. n. 135. cum aliis ibi citatis, Bonac. de rebus, disp. 2. quaest. ultim. sect. 2. punct. 1. num. 3. Sporer loc. cit. num. 117. Qui in 19 super ibidem cum Tamburin. lib. 6. decalog. cap. 4. §. 2. num. 15. probabile iudicat, ad nullam omnino teneri restitutionem, quia licet invasus graviter excedendo moderamen inculpatae tutelae contra injustum invasorem graviter peccet contra charitatem, non tamen peccat contra justitiam; Injustus enim invasor censetur remittere totam obligationem, quia cum jam sciat injuste invasum omnia mala contra ipsum tentaturum, & hoc non obstante eum adhuc invadat, con-

convincitur, omnino malis illis, seu damnis consenti-
re; scienti enim, & volenti, seu consentienti non fit
injuria; cap. Scienti 27. de Regul. Jur. in 6. & leg. No-
mo 145. ff. de divers. Regul. Juris. (Vide proxime art.
precedent. num. 45.) adeoque ipse sic adhuc injuste
invasus, quamvis moderamen inculpate tutelæ gra-
viter excedat, non tenetur ad ullam restitutionem, cum
nullimode tunc peccet contra Justitiam, sed solum
contra charitatem. Quæ sententia, dicit Sporer *ibidem*,
servire potest Confessario, ne se, & penitentem in
difficili determinatione hujus restitutionis nullum toc-
queat.

20 Injuste invasus, licet possit commode, & absque
nota, seu infamia fugere invasorem, seu ag-
gressorem, si fugere nolit, & ipsum injustum invaso-
rem occidat, servando in reliquis moderamen incul-
pate tutelæ, probabilius non tenetur ad ullam resti-
tutionem; quia in tali causa peccat solum graviter con-
tra charitatem; & nullimode contra Justitiam, cum in-
justus invasor nullum habeat jus, quo obliget injuste
invasum ad fugam. Sic Lessius *cit. cap. 9. dub. 21. nu-
mer. 126.* Julius Clarus de homicidio num. 32. Illsung,
loc. cit. num. 86. Layman *loc. cit. Molina disp. 80. nu-
mer. 2.* Tamburin. *loc. cit. Petschecr. de restit. p. 286.*
Sporer *loc. cit. num. 217.* ubi ex supracitatis testatur de
communi. Est tamen contra Silvestrum, Vasquez, Ro-
driguez, Bonacina, La Croix, & Card. de Lugo
tom. 1. disp. 10. sect. 8. num. 170. & disp. 12. sect. 2.
num. 53. qui etiam communem dicit esse hanc suam
contrariam sententiam, quæ est revera probabilis; quia
tunc solum excusatur occisio invasoris ab injustitia,
quando necessaria est ad sui defensionem. In tali hu-
tem casu non est necessaria dicta occisio pro sui de-
fensione, cum injuste invasus possit se commode, &
facile defendere fugiendo absque nota seu infamia ip-
sum invasorem, seu aggressorem; adeoque si non fug-
gat, sed occidat, tenetur ad restitutionem; quia fuga
in his circumstantiis est debita juri invasoris, qui licet
passione turbatus se exponat ipsi periculo occisionis,
adhuc tamen, si sui occisio non sit necessaria ad
invasi defensionem, retinet Jus, ne ab ipso privata
auctoritate occidatur.

22 Si provocans occidat provocatum, qui metu infam-
iæ debuit comparere, provocans tenetur compensa-
re damna inde secuta; quia in tali casu provocatus ac-
cessit involuntarius, unde non censetur cessisse juri suo,
ut adhuc servaretur indemnus, & illæsus. Sanchez in
*Consil. lib. 1. cap. 4. dub. 10. cum aliis ibi citatis, La
Croix loc. cit. num. 305.* Salonio, & alii passim.

23 Committens occultum homicidium, quod postea
per errorem alteri imputatur præter sui intentionem,
non tenetur ad compensanda damna ei inde secuta.
Molina tom. 4. dir. 86. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 17.
*num. 111. Lugo disp. 8. num. 82. La Croix loc. cit. nu-
mer. 155. & alii communiter.* In eo enim casu homici-
da non est vere causa nec physica, nec moralis damni,
quod innocenti sequitur, sed ignorantia, vel malitia
aliorum.

✦ Tenetur quidem; quomodocumque enim res ac-
cipitur, homicida est causa saltem occasionalis damno-
rum inde secutorum. Idem dicito de deferente cadaver
ante domum alterius, *num. 26.* Et de ebrio, etiamsi
ebrietas non fuerit culpabilis, *num. 29.* Occidens ali-
quem justa morte mox occidendum, ex justitia teneri
videtur ad damna, *num. 32.* Vere autem tenentur ri-
xantes expositi *num. 36.*

✦ Si omnia in allegatis numeris à me tradita at-
tente perpendantur, solida ratione, & auctoritate sufful-
ta reperitur: immo ab aliquibus in laxioribus termi-
nis defenduntur, ut est eruditus in expertum. Nec ab-
solute verum est, ut prætidit Theologus, quod ad
restitutionem teneantur rixantes expositi sub *num. 36.*
ut videre est *num. 37. sequent.* in quo patet, quid dicen-
dum ad subjunctam notam Theologi sub eodem nu-
mer. 37.

24 Excipite tamen nisi homicida aliquid peculiare fe-
cerit moraliter efficaciter influens in imputationem fa-

ciendam innocenti, ut si ipso invito, vel inscio ipsius
vestibus se induisset, vel usus fuisset ejus gladio, quem
adhuc sanguinolentum reposuisset in ejus vaginam, &
per hoc ipse innocens fuerit habitus, ut versus homicida
tunc enim supradictus committens sic multo hinc homici-
dium teneretur ad integram restitutionem damni causa-
ti ipsi innocenti per talem iniquam, & malitiosam frau-
dem; quia malitia, fraus, & dolus nemini debent pra-
trociniis impertiri; cap. Sedes 15. & cap. Ex tenore 16.
de rescriptis; cap. Ex literis 2. de dolo, & contumacia,
cap. Tum 12. de Clericis non resident. leg. In fundo, ff.
de rei vindicat. leg. Cum his, ff. de transactionib. leg.
Si legatarius, cod. de Legatis, cum similibus. (Lit. E
pag. 175. n. 51.)

✦ Sic per eandem rationem, & eadem Jura tenetur
ad restitutionem, qui cadaver occisi ponit ante domum,
vel sepelit in horto innocenti, ut ipsi imputetur homici-
dium, & ideo patitur damnus. Per fraudem enim
videtur inducere innocentem ad tale damnus, unde
sicuti ex dictis sub verb. Impediens :: qui per fraudem
aliquem impedit à consecutione boni, tenetur ad resti-
tutionem, & compensationem, ita multo magis qui per
fraudem inducit in aliquod damnus; Sanchez *lib. 1.*
Consil. cap. 5. dub. 5. num. 72. Sporer *loc. cit. num. 201.*
Molina tom. 4. tract. 2. disp. 86. Rebell. part. 1. lib. 3.
cap. 11. Felix Potestas tom. 1. part. 2. num. 2104. &
alii passim. Si tamen occisor cadaver occisi longe à
domo deferat, & reponat juxta domum innocenti, non
ex intentione, ut homicidium imputetur innocenti, sed
solum ut amoveat à se omne indicium, & occasione
inquirendi, Lugo *disp. 8. num. 84.* Tamburin. *lib. 6.*
cap. 5. §. 1. num. 5. Sporer *loc. cit. & alii dicunt, non*
teneri ad restitutionem, quia non videtur in tali casu
moraliter positive infuisse in imputationem, quia illa
non est prudens causa, sed occasio levis inquirendi
contra talem innocentem, si alia adminicula non occur-
rant: potuit enim homo alibi vulneratus letaliter,
& longius progressus casu ibi mori, ut non semel in
dies accidere solet.

✦ Intendens occidere solummodo feram, & adhibita
debita cautela, ac diligentia, per errorem, ac ignoran-
tiam invincibilem occidit hominem, quem invincibi-
liter credidit esse feram, non tenetur ad ullam resti-
tutionem, quia tale homicidium est ei simpliciter involun-
tarium saltem negative; Secus autem esset, si occisor
non adhibuisset debitam cautelam, ac diligentiam;
*Communis, textu expresso in cap. Si culpa 9. de inju-
riis, & damno dato.*

✦ Qui certo sciens ibi esse hominem, & credens esse
Cajum suum inimicum, occidit Titium, alioquin non
occiditur, tenetur ad restitutionem, quia licet talis suffi-
cienter caverit occisionem Titii, non tamen cavit,
sed omnino voluit occisionem hominis ut sic, cum cer-
tus fuerit ibi esse hominem, adeoque occisio illa fuit in-
justa in hominem quemcumque attigerit, & consequen-
ter injuriosa Titio, & obnoxia restitutionis; *Communis,*
per textum in leg. Eum qui nocentem 18. §. 3. ibi: "Si
injuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus, aut si quis
putet me Lucium Titium esse, cum sim Cajus Se-
pius, prævalet quod principale est injuriam eum mihi
facere velle; nam certus ego sum, licet ille putet me
alium esse, quam sim, & ideo injuriam habeo ac-
tionem."

✦ Ebrius alium occidens, si ebrietas non fuit culpa-
bilis, & voluntaria, vel etiam si fuit talis, homicidium
tamen non prævidit, seu omnem diligentiam debitam
adhibuit ad ipsum cavendum, non tenetur ad resti-
tutionem. Tenetur autem, si prævidit, & non cavit.
*Communis, per textum, cap. Si culpa 9. de injuriis, &
damno dato.*

✦ Vulnerans injuste alium vulnerare non letali, ad res-
tutionem tenetur, si occasione talis vulneris, quam-
vis de se non letalis, alius morbus, vel inflammatio
suborta mortem inferat vulnerato; quia quod est cause,
est etiam causa causati, *argum. cap. Presbytero-
rum 7. & cap. Ad Audientiam 16. de homicid. leg. Ma-
nussionem 4. ff. de Justitia, & Jure. Sic Comm. Doc-*

torum. Vide verb. Quadragesima, numer. 34.

21 Si autem vulneratus vulnerare non letali postea pe-
rierit, non ratione vulneris per se, sed solum per ac-
cidents, ex propria negligentia, & incuria, seu ex im-
pericia Medici, vel Chirurgi, vulnerans tenebitur solum
ad restitutionem damni causati vivo pro vulnere, non
autem ad restitutionem damni causati mortuo, seu ejus
heredibus pro homicidio, cum ipsum homicidium nec
indirecte, & in causa voluntarium ipsi imputari pos-
sit. *Communis, textu expresso in leg. Qui occidit 30.*
§. 4. ff. Ad legem Aquilianam, ibi: Si vulneratus... non
morifere, negligentia autem perierit: de vulnerato actio
erit, non de occiso.

22 Occidens hominem, quem certo scit paulo post
morte occidendum, non tenetur ad restitutionem. In
tali enim casu non infert ei grave damnus in bonis for-
tunæ. *La Croix lib. 3. part. 2. num. 308.* Navarr. Vas-
quez, Bonacina ibi citatis, & alii passim. Occidens au-
tem hominem, quem certo scit paulo post injuste occi-
dendum à latrone, mandatario, & hujusmodi, tenetur
ad restitutionem, quia prior occidens intulit ei injuste
grave damnus. Vide dicta art. 1. num. 22. & 42.

23 Si Paulus iniuriam, & causa fuit rixæ cum Petro
per sola verba contumeliosa, & ideo ab ipso Petro ex-
candescens occidatur, tenetur Petrus ad restitutionem,
quia sola verbalis contumelia non dat jus ad occiden-
dum; unde cum talis occisio sit contra Justitiam, obli-
gat ad restitutionem. *Communis, textu expresso in Lugo disp. 81.*
num. 3. Lessio lib. 2. cap. 6. dub. 21. num. 137. Sporer
loc. cit. num. 194. Si autem Petrus verbis contumeliosis
affectus à Paulo veller ipsum Paulum occidere, pos-
set Paulus licite se defendere, & cum moderamine in-
culpate tutelæ ipsum Petrum tamquam injustum ag-
gressorem etiam occidere, quando non ei suppetat
alius modus se defendendi, Sporer *loc. cit. Tamburin.*
lib. 6. cap. 9. §. 3. num. 17. La Croix loc. cit. n. 306.
& alii.

24 Si duobus rixantibus, & strictis gladiis pugnan-
tibus, & alii sua sponte accurrant, & horum unus alte-
rum occidat, vel ab altero occidatur; tunc ipsi duo
principales rixantes, & pugnantes ad nullam tenentur
restitutionem, cum tale homicidium nullo modo inten-
dant, nec in se, nec in sua causa; sola enim eorum
pugna non est causa, nisi valde remota, ut alii accur-
rant, pugnent, vel occidantur, cum ipsi sua sponte
accurrerint. *Communis.*

25 Si autem unus ex duobus rixantibus, & pugnan-
tibus, alios amicos, seu conjunctos in sui adiutorium
vocaverit, & excitavit, & unus ex his postea occidat-
ur, Suarez de censuris *disp. 44. sect. 3. num. 18.*
Avila de censuris pari. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 5. concl. 4.
Navarr. Coninch. Petrus Corucio, Sayrus, Villalobos,
& Diana apud Cardin. de Lugo disp. 11. num. 57. vi-
dentur supponere esse ipsi excitanti imputandum tale
homicidium; dicunt enim evadere irregularem illum,
qui consilio, vel aliter inducit Titium, ut Cajum occi-
dat, si ea occasione Titius occidatur ab ipso Cajo, quia
per ipsum consilium, seu suasionem fuit causa occisionis,
& damni; Vasquez tamen in *tract. 2. disp. 100.*
num. 45. Turrian. de censuris *lib. 9. disput. 63. dub. 4.*
Gaspar Hurtad. disp. 2. de Irregul. difficult. 6. num. 2.
loquentes de irregulartate, tenent contrariam senten-
tiam, quando Lugo *loc. cit. num. 58.* loquentes in termi-
nis de restitutione ob homicidium, dicit esse sibi satis
probabilem, idemque docent Tambur. *loc. cit. num. 19.*
La Croix loc. cit. num. 307. & alii. Et eorum ratio est,
quia quamvis sic suadens, & excitans peccet contra cha-
ritatem, tamen non peccat contra Justitiam, cum nec
vi, nec fraude, aut dolo coegerit ipsum occisum ad
subeundum tale periculum mortis, sed sola suasionem &
precatione, cui ipse occisus omnino consensit; Scienti
enim, & volenti, seu consentienti non fit injuria, *cap.*
Scienti 27. de Regul. Juris in 6. leg. Num. 145. ff. de
divers. Regul. Juris (sup. num. 19.)

26 Si quis à mandataris requisitus ostendat domum
Caji, qui inde fuit ab illis occisus, si sine coactione,
& sine gravi mortis timore id fecit, tenetur ad restitu-
tionem; Non tenetur autem, si id fecit coactus, & ra-
tione gravis metus mortis sibi aliis indicæ. *Diana p. 5.*
tract. 1. resol. 63. Tamburin. lib. 4. §. 4. n. 3. Felix
Potestas loc. cit. num. 2108. & alii passim.

✦ Nota. Videtur hoc casu irregulartatem contra-
here, & ad damna teneri, suavor enim delicti, & exe-
quitor eadem poena puniuntur.

27 Homicida in rigore Juris non liberatur ab obliga-
tione restituendi damna temporalia ex homicidio secun-
ta, quamvis à Magistratu capite plectatur, seu exte-
mo supplicio afficiatur. Sic tenent innumeri Doctores,
tum ex antiquis, tum ex recentioribus, quos referunt,
& sequuntur Sanchez *lib. 1. Consil. cap. 4. dub. 6. Mo-*
lina disp. 84. num. 8. Lessius dub. 22. Vasquez de restit.
cap. 2. §. 3. dub. 5. Navarr. cap. 15. num. 5. Sporer loc.
cit. num. 236. ubi dicit id tenere Doctores communiter.
Tamburin. loc. cit. num. 14. Busemb. lib. 3. part. 2. de
restitutione cap. 2. dub. 6. art. 2. num. 10. Henno tom. 2.
tract. 1. disp. 9. quest. 7. conclus. 2. resol. 7. Felix Po-
testas loc. cit. num. 2107. & alii passim. Et ratio est,
quia homicida per talem capitalem mortem, seu extre-
mum supplicium satisfacit quidem Justitiæ publicæ, &
vindictivæ, non autem commutativæ, quam læsit al-
terum occidendo; Unde adhuc remanet facienda resti-
tutio hæredibus proximis occisi, cum damna privata ob
publicam punitionem non resarciatur. Tum quia sicuti
fur non excusatur ab obligatione restituendi, quamvis
capite plectatur, ita nec excusatur homicida ab obli-
gatione restituendi damna injuste illata, cum non mi-
nus tenetur restituere homicida pro homicidio, quam
fur pro furtis.

✦ Notanter autem dicitur in rigore Juris, quia præci-
se loquendo excusantur tales homicidæ ab ejusmodi
restitutione, eo quod ii, quibus restituendum erat, vel
contenti sint talionis poena illata, vel non curent de
tali restitutione; maxime si sint nobiles, & divites, &
ad eorum instantiam Juxta ad talem mortem condem-
naverit homicidam; isti enim videntur eo ipso omnes
alias satisfactions remittere. Tum quia ea damna sunt
necessario conjuncta cum morte occisi, suntque mag-
na causa aggravans homicidium. Unde Juxta in sen-
tentia ferenda præsumitur considerasse utramque, &
scilicet mortem occisi, & damna consequentia: Ideoque
lata contra homicidam sententia mortis capitalis, tam-
quam definitiva totius causæ, nulla facta mentione
compensationis, vel restitutionis damnorum, censetur
una cum morte omnem prorsus obligationem rei
aboluisse, & sic non tantum reipublicæ, sed etiam
parti læsæ satisfecisse. Sic tenent Scotus, & alii apud
Lessium *loc. cit. dub. 22. num. 119.* qui etiam dicit, hanc
sententiam esse vere probabilem, & consentaneam æ-
quitati, & ita fere habere usum; ut hæredes occisi
poenæ talionis censeantur acquiescere, & injuria illa
videatur sic esse compensata, & sic etiam docent plu-
res alii citati à Lugo *disp. 11. num. 49.* Tambur. *loc.*
cit. §. 3. num. 14. noster Marchant. *tom. 2. tract. 6. tit. 7.*
quest. 5. dub. 2. Sporer *loco cit. num. 236.* Felix Po-
testas *loc. cit.* ubi dicit, hæredibus occisi divitibus non
esse resarcienda damna, quia isti solent esse contenti
poenæ capitali occisori inflictæ; & id insuper docet ip-
somet Scotus in 4. *distinct. 15. quest. 3.* secutus ab aliis,
quia homicida sufficienter satisfacit tollendo poenam
capitaliam.

✦ Damna secuta ex homicidio sunt compensanda, &
restituenda solis hæredibus proximis occisi, scilicet fi-
liis, uxori, & parentibus ita damnificatis. Sic *Communi-
s Doctores* cum Lessio *cit. cap. 9. dub. 26. num. 155.*
Sporer *loc. cit. n. 230.* La Croix *loc. cit. n. 310.* Molina,
Layman, Marchant. Salonio, Aragonio, Lugo, Cor-
duba, Ledesma, Soto, Angles, & alii passim contra
paucos alios. Et ratio est, quia obligatio, & finis res-
tutionis est compensare damna injuste illata alteri in
bonis propriis, vel sibi ex Justitia debitis; Solis au-
tem dictis proximis occisi hæredibus inferuntur injuste
illa damna in bonis propriis, & sibi ex Justitia debitis,
cum eos solos ex Justitia in necessitate positos alere
teneretur occisus, ex quo adeo strictè sint ipsi con-
junc-

juncti, ut moraliter una semper persona censi debeant cum illo, quod non verificatur in aliis hæredibus, eo quod conseat esse velut extranei se remore habentes, & per accidens damna illa patientes, cum occisus, non ex Justitia, sed solum ex charitate ipsos aleret.

42 Sunt tamen talia damna probabiliter compensanda etiam Fratribus, & Sororibus occisi, si ipse occisus eos per sententiam Judicis tenebatur alere, quia jam habebant Jus ad illa alimenta, quæ ab ipso occiso vigore Judicialis sententiæ de Justitia accepissent. Ita Lopez 1. part. Instru. novi cap. 72. Sanchez di. cap. 4. dub. 3. & alii plures.

43 Item probabiliter talia damna compensanda sunt etiam creditoribus occisi, quia occisus strictiori obligatione Justitiæ tenebatur suis creditoribus, quam ipsis hæredibus necessariis, cum his alimenta, & hæreditas non præstetur nisi deducto ære alieno; adeoque si homicida teneatur talia damna compensare dictis hæredibus necessariis, à fortiori tenebitur de rigore Juris compensare occisi creditoribus. Sic Molina tract. 3. disput. 83. num. 8. Laym. loc. cit. cap. 6. num. 4. Sporer loc. cit. num. 230. & multi alii; Quamvis Layman, & Sporer loc. cit. notent, id in praxi non observari. Unde contrarium absolute docent Lessius loc. cit. dub. 26. num. 151. Diana part. 5. tract. 3. resol. 57. & plures alii apud ipsos.

44 Item probabiliter damna secuta ex homicidio sunt compensanda, & restituenda etiam aliis remotis hæredibus, & extraneis, immo & pauperibus compensanda sunt elemosinæ, quas occisus illis largiri solebat, si homicida, animo illis nocendi, ipsum occidit. Ita tenent Sorus, Navarr. Adrian. Panormitan. Rosell. Vasquez, Turrian, & alii apud Lugo di. disp. 11. num. 74. qui eos sequitur ib. num. 77. Busemb. loc. cit. num. 11. cum aliis ibi citatis, Felix Potestas loc. cit. num. 2106. Illung. tit. 4. d. 2. num. 78. & alii; Malitia enim, fraus, & dolus nemini patrocinari debent; cap. Ex literis 2. de dolo & contumacia, cap. Sedes 15. & cap. Ex tenore 16. de rescriptis, cap. Tue 12. de Clericis non residentibus, leg. In fundo, ff. de rei vindic. leg. Cum hi, ff. de transactionibus, leg. Si Legatarius, Codice de Legatis cum similibus, (sup. n. 24.)

45 Obligatio homicidæ ad restituendum pro damna illatis ex tali homicidio transit ad ejus hæredes juxta vires hæreditatis, quando ipsemet non fecerat. Communis. Est enim illud debitum, & onus reale, cui hæredes succedunt, sicuti & succedunt hæreditati cum res transeat cum suo onere; l. Alienatio, ff. de contrahen. emptio. l. Pompejus, §. Cum quis, ff. de acquir. poster. l. Via Constit. §. Quicumque, ff. de serv. urb. præd. l. 1. §. fin. §. l. seg. ff. Si serv. vind. l. Fiscus, ff. de Jure Fisci, Clement. de Censibus. (Vid. verb. Emphyteusis, & verb. Bona ecclesiastica.)

46 Si vulneratus ante mortem remittat percussori seu homicidæ omne damnum reale præteritum, præsens, & futurum, tunc valde probabile est, quod nec ipse homicida, nec in suo defectu ejus hæredes teneantur ullam restitutionem faciendam hæredibus etiam necessariis ipsius occisi. Busemb. loc. cit. art. 3. num. 3. Lessius cit. cap. 9. dub. 26. num. 158. Molina disp. 21. num. 4. & 5. Sanchez loc. cit. dub. 12. num. 5. Salonius quest. 62. art. 2. controvers. 9. Henno loc. cit. quest. 7. conclus. 3. Peter 1. Bannes, aliisque citatis, Diana par. 5. tract. 4. resol. 58. Tambur. lib. 6. cap. 4. §. 3. num. 10. Et ratio est, quia sicut mortuus poterat cedere homicidæ alia Jura, ita & illa, & consequenter onus restituendi extinguitur; tum quia quidquid debetur illis hæredibus, totum debetur eis dependenter à voluntate moriturus, adeoque non fit eis injuria, nisi quatenus sit contra occisi voluntatem, & consequenter si mortuus totum condonavit, nulla contra ejus voluntatem remanet homicidæ, seu ejus hæredibus obligatio Justitiæ de faciendam aliqua restitutione.

47 Contrariam tamen sententiam adhuc tamquam probabiliorē docent Lugo disput. 11. sect. 3. num. 13. Sporer loc. cit. num. 235. La Croix loc. num. 310. Illung. tom. 4. d. 3. n. 88. Felix Potestas loc. cit. n. 2112.

Tanner. q. 6. dub. 4. & alii. Et ratio est; quia remissio à mortuo facta habet quidem locum in damnis præteritis usque ad ejus mortem, at minime in damnis sequentibus. Mortuus enim licet possit remittere totum Jus suum quoad compensationem sibi debitam pro damnis sibi illatis ante suam mortem, non potest tamen remittere Jus alienum quoad compensationem suis necessariis hæredibus debitam pro damnis eis subsequutis post ejus mortem; Hoc enim Jus non pertinet ad occisum, sed immediate ad ejus hæredes necessarios, quibus occisus de Jure, & Justitia tenebatur necessaria ad vitæ substitutionem providere, & præstare; adeoque cum ex ejus occisione dicti hæredes damnum proprium patiantur, Jus proprium acquirunt ad compensationem, sibi faciendam ab homicida, & consequenter non obstante remissione totali ei facta à mortuo, tenetur homicida, & ejus defectu ipsius hæredes ad compensanda damna dictis hæredibus necessariis subsecuta, cum hæc, ut patet, sint damna propria ipsorum hæredum, & non damna occisi.

Item tenetur homicida compensare damna hæredibus subsecuta, quamvis à supremo Principe patrati homicidii plenissimum obtineret remissionem, quia Princeps præcise intendit condonare injuriam republicæ factam, & non damna hæredibus necessariis subsecuta; Henno loc. cit. Peter 3. & alii passim.

ARTICULUS III.

Quid, cui, & quando sit restituendum.

SUMMARIUM.

- 1 Quid restituendum: possessor malæ, & bonæ fidei, multique alii contrahentes referuntur: dum occurrat rei occupatio, alluvio & remissio: in acceptis ad malam actionem qualis restituitur faciendæ: quid in malis promissionibus, ad n. 25.
- 26 Quomodo se gerere homines debent in rei acceptione, à damone conlata, per modum pretii in actione ex Justitia debita, donationis libera &c. si Principum ministri à particularibus manera exigunt: si uxores pretium exigant pro debito conjugali, aliique recenserentur: quid si recipiatur, ex quacumque alia virtute præter Justitiam debitum, ad n. 24.
- 35 Cui restituitur fieri debet: impense in rei ablata inquisitione an restituendæ: quid si post factam diligentem inquisitionem non reperitur dominus: In rebus pro derelictis habitis, in litore inventis, mala acquiruntur, & quarum dominus non apparet, quæ observanda, si non consumptæ, aut secus, ad num. 56.
- 57 Cui est faciendæ restitutio pro damnis civitati, oppido &c. illatis: si particularibus minutim sit damnificatum, seu extraneis ignotis: thesaurus: si animalia in leporariis, vicariis, stagnis, &c. capiuntur: de domesticis, & feris etiam loquitur: neque de apibus omittitur doctrina, ad n. 69.
- 70 Restitutio an locum habeat in re aliena cum propria commixta: quid in emente alienam bona aut mala fide: quibus debet fieri pro rebus in bello captis, & damnis causatis: si mentio de bonis vacantibus dum apparet, quemlibet esse injustum detentorem, utrum illico sit ablatum restituendum, & verbis statim datur intelligentia, ad n. 88.
- 89 Quando est restituendum interesse lucræ cessantis, & dampni emergentis: si mora intercesserit: dum est ex contractu debitor: an maneat in peccato mortali qui restitutioni obstitit, ad n. 97.
- 98 Confessario quando venit abolendus qui restitutionem differt, vel si sit in mortis articulo, ad numer. 103.

Ex Justitia commutativa id, & tantum restituendum est, quod, & quantum ablatum, vel damnificatum est; Communis, nec indiget probatione, cum clare de se pateat. Generaliter loquendo restituenda est eadem res in individuo, si adhuc extet; Communis per text. in lege. Manifesti Juris 17. cap. de solutionibus; Extante enim eadem re, & ejus dominium verus dominus in alium non transiit, semper dominus retinet Jus in illa, adeoque si non sit contentus alia re ejusdem speciei, & bonitatis, est ei restituenda ipsamet res, adhuc extans in individuo.

Si eadem res in individuo non amplius extet, faciendæ est restitutio in æquivalenti, adeo ut tantum restituatur, quantum sufficit ad æqualitatem debiti, vel damni illati; Communis per text. in Authentic. Hoc nisi cod. de Solutionibus. Quid restituere debet possessor bonæ vel malæ fidei? Vide verb. Possessor bonæ, & malæ fidei per tot. Ubi etiam de fructibus naturalibus, industrialibus, mixtis, & civilibus. Item de fructibus jam perceptis, & adhuc percipiendis. Item de expensis, seu melioramentis necessariis, utilibus, & voluptuosis.

Quid restituere debeat commodatarius? Vide verb. Commodatarius.

Quid restituere debeat conductor, & locator? Vide verb. Locator.

Quid restituere debeat Mutuatarius? Vide verb. Mutuum.

Quid restituere debeat emptor, & venditor? Vide verb. Emptio, Venditio.

Quid restituere debeat emphyteuta? Vide verb. Emphyteusis.

Quid restituere debeat lutor? Vide verb. Ludus.

Quid restituendum sit in rerum occupatione, alluvione, specificatione, accessione, confusione, commixtione, & fructuum perceptione? Vide verb. Dominium, &c.

Alia ad rem; Vide verb. Bellum art. 2. & 3. verb. Bona art. 4. verb. Culpa, verb. Damnificatio, verb. Usura; & notata supra art. 1. à num. 80. ad 94.

Accepta ob actionem malam, seu peccaminosam jam positam, non sunt de Jure naturæ restituenda; Unde si mulier etiam uxorata pro concensu usu sui corporis, & mandatarius pro homicidio patrato pretium acceperit, potest retinere, S. Thomas 2. quest. 62. art. 5. ad 2. Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 8. à num. 52. Lugo disput. 18. à num. 45. Dicastill. de retri. disp. 6. dub. 1. Burghes. Centur. 3. cap. 33. S. Antonius 2. part. tit. 2. cap. 5. in princip. Covarrub. Ad Regul. Peccatum part. 2. §. 2. Angelus verb. Restit. §. Turpe: Rosignolus de retri. 11. disquis. 1. §. 6. num. 9. & 10. La Croix lib. 3. part. 2. num. 289. cum Azorio, Molin. Vasquez ibi citatis, & alii passim per text. in leg. Idem si ob stuprum 4. §. 3. ff. de conditione ob turpem, vel injuriam causam, ubi habetur: "Meretricem turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix;" Unde S. Thomas 2. 2. quest. 32. art. 7. in corpore ait: "Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; sed in eo, quod accipit, non injuste agit, nec contra legem;" Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest." (Leg. 12. tit. 20. part. 1. verb. Decima.)

Accepta ob actionem malam, seu peccaminosam necdum positam, restitui debent, quia actio non debet poni, adeoque nec retineri potest pretium pro ea pendenda. Si autem sit quid mere liberaliter donatum ad alliciendum animum verbis gratiæ meretricis ad copulam, sive ante, sive post actionem turpem, potest tuta conscientia retineri, paucis solis casibus exceptis; Lugo loc. cit. num. 49. La Croix loc. cit. num. 291. Henno tom. 2. tract. 1. de retri. quest. 6. conclus. 1. ubi citat Communem Doctorum, per text. in leg. Affectionis §. ff. de donationibus, ibi: "Affectionis gratia, neque honestæ, neque inhonestæ, donationes sunt prohibitiæ; honestæ erga bene merentes, amicos, vel necessarios, inhonestæ erga Meretricis;" & concordat leg. Donationes 31. ff. eodem. Ubi, ut vides, lex non distinguit, an ad hoc ut sint validæ tales donationes, debeant fieri ante, vel post actionem turpem; Ubi autem

flex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. Quia circa 20. de privileg. & leg. De pretio ff. de Publiciana in rem actione. (Lit. C. pag. 31. num. 7.) Et ratio conclusionis est, quia potest quilibet rei suæ dominium in alium transferre, ubi per leges non impeditur; Nulla autem est assignabilis lex irritans dictam translationem; Non quidem lex naturæ, quia licet ratio naturalis dicat donationes illas esse illicitas, tamen ex parte dantis, quàm ex parte accipientis, eo quod incitent ad meretricium, vel inchoandum, vel continuandum; non tamen dicat esse invalidas. Nec etiam id dicant leges positivæ, cum leges civiles potius illas confirmet, ut patet ex cir. leg. Affectionis §. & cit. leg. Donationes in concubinam 31. ff. de donationibus, & cit. l. Idem si ob stuprum 4. §. 3. ff. De conditione ob turpem, vel injuriam causam, adeoque &c. (Vide verb. Donatio.)

Dicitur autem notanter, paucis solis casibus exceptis, quia donata à filiofamilias, pupillo minorenni, & à milite, retineri non possunt, quia ipsi per leges inhabilitantur ad donandum, ut patet de filiofamilias in §. Filiusfamilias 7. ff. De donationibus. De pupillo §. 7. Instatur. de auctoritate Tutorum, De minorenni leg. Si Curatorem 3. cod. de in integrum restitutionem. De milite l. Si ancillam 2. cod. de donatione inter virum, & uxorem. Pro parvis autem manuculis videtur consuetudinem contrarium induxisse. (Vid. proxime.)

Item retineri non possent donationes, si quæ fierent (quod Deus avertat) ab aliquo Religioso suæ conditionis immemore propter tale infandum commercium; Tales enim donationes essent omnino nedum illicitæ, sed & invalidæ, adeoque monasterio essent restituendæ, cum Religiosis professus nihil possit expendere sine licentia expressa, aut tacita Superioris, quum in tali casu non haberet, nec posset habere, quum nec Superior, nec totum monasterium possit illam concedere in usus turpes, & peccaminosos; Nec etiam ex pecuniis suis personalibus, ac specialibus laboribus acquisitis, cum quidquid acquirat Monachus, acquirat monasterio; cap. Statutum 1. caus. 18. quest. 1. cap. Abbates 19. caus. 18. quest. 2. cap. Quia ingredientibus 7. caus. 19. quest. 3. cap. In presentia 8. de probationibus, cap. Monachi 2. de statu Monachorum, cum similibus. (Vid. lit. D pag. 99.)

Promissio, seu conventio de danda alicui certa pecunie summa, ut aliqua actio turpis, & peccaminosa perpetretur, nullam habet, neque ante, neque post perpetrationem talis actionis turpis, & peccaminosæ, vim obligandi; Unde sic promittens nihil tenetur restituere promissario; Colligitur ex pluribus Juribus, tum canonicis, tum civilibus: Et quidem Jure canonico habetur in cap. Pactione 8. de pactis, ubi sic expresse statuitur: "Pactiones factæ à vobis... nullus penitus sunt momenti; quod etiam de aliis est dicendum, quæ observate vergunt in Animæ detrimentum; Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis... de Jure vel de facto nullam obligationem inducunt." cap. In malis promissis 5. caus. 22. quest. 4. ubi ex verbis S. Isidori sic præcise habetur: "In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute votis, ne facias, impia est promissio, quæ scelere adimpletur, cap. Quæ contra Jus 64. de Regul. Juris in 6. ibi: Quæ contra Jus sunt, debent vitari, & pro infelicis haberi, cap. In malis 69. de Reg. Juris in 6. ibi: In malis promissis fidem non expedit observari. (Vid. tit. 8. part. 1. tit. 4. part. 4. tit. 11. p. 5. tit. 4. part. 6. ubi circa hanc materiam nihil prætermittitur. Memoriae demanda quæ exponuntur in singulis contractibus hac bibliotheca contentis.)

Et hoc Jure canonico adeo verum est, quod licet talis promissio fuisset etiam juramento firmata, nullam importaret obligationem, ut expresse statuitur in cap. Non est obligatorium contra bonos mores præritum juramentum. Et concordant plures textus in quest. 4. caus. 22. & signanter in c. Est etiam 2. d. q. 4. caus. 22. ubi ex verbis S. Ambrosii improbat Herodes, quod ob servan-

vandum Juramentum S. Joannem Baptistam occidi jussisset: Unde in ejus summatio sic expresse habetur: *Aliquando non expedit promissum servare Sacramentum, cap. Quod David 3. eadem caus. & quest. ubi ex verbis S. Augustini laudatur David, quod sicut juraverat, non occiderit Nabal, ibi: Quod David juramentum per sanguinis effusionem non implevit, major pietas fuit, & in ejus summatio sic dicitur: Pias fuit, quod David Nabal, sicut juraverat, non occiderit, cap. Juraverit David 4. ead. caus. & quest. ubi de eodem verbis ejusdem S. Augustini sic repetitur: Juravit David temere, sed non implevit jurationem majori pietate ductus. Et e contra idem S. Augustinus serm. 10. in novis sermonibus de decollatione S. Joannis Baptistae improbat Herodem, quod impie adimpleat, quod temere juraverat, ibi: Temere juratur, & impie, quod juratur, impletur, cap. Unusquisque 8. eadem caus. & quest. in ejus Summatio de mente S. Ambrosii sic habetur: Tolerabilis est juramentum non implere, quam quod turpe est, facere, cap. Si aliquid 16. ead. caus. & quest. ubi sic summatur decretum Sotheris Papae: Juramentum, quo malum incaute promittitur, non est servandum, cap. Actioe 18. ead. caus. & quest. ubi sic summatur decretum Concilii Eliberitani: Illicitum juramentum non est servandum; & saepe in eadem causa, & questione in aliis capitulis, & summatibus consimiliter. Et hoc jure merito, cum juramentum non fuerit institutum, ut esset vinculum iniquitatis; textu expresso in cap. Quanto 18. de Jure Jurando, ibi: "Cum juramentum, non ut esset iniquitatis vinculum, fuerit institutum." cap. Inter cetera 22. ead. caus. 22. quest. 4. ibi: "Porro juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis." (Præcedentem confirmant doctrinam leg. 38. tit. 5. glo. 2. 10. tit. 10. glo. 1. 28. tit. 11. p. 5.)*

19 Jure civili habetur sensus nostrae conclusionis in pluribus legibus, & signanter in leg. Generaliter 26. ff. de verb. obligationibus, ibi: Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti; leg. Si flagitii 123. ff. ead. ibi: Si flagitii faciendi, vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet; leg. Juris gentium 7. ff. de pactis, ibi: Si stipulatio sit interposita de his, pro quibus pacisci non licet, servanda non est, sed omnino rescindenda; leg. Pacta 6. cod. de pactis, ibi: Pacta, que contra leges, Constitutionesque, vel contra bonos mores fiant, nullam vim habere indubitati Jure est, leg. Ex eo, cod. de inutilibus stipulationibus, ibi: Cum omnia, que contra bonos mores, vel in pactum, vel in stipulationem deducuntur, nullius momenti sint. (Vide adnotata num. 17.)

20 Suprapositam conclusionem tenent Navarrus in manual. cap. 17. Durand. in 3. dist. 39. quest. 4. Medina, cod. de restitut. quest. 2. Comitulus lib. 3. respons. moral. quest. 5. Joannes Valerius in differentiis utriusque fori, verb. Promissio, miscellan. resolut. 40. ubi & ipse hanc sententiam probabilem, & practice tutam reputat, Adrianus, Neessen. Le Droux, & alii, quos citat, & sequitur Henno loc. cit. quest. 5. conclus. 1. & sic videtur sentire Sanctus Augustinus relatus in cap. Qui venerationibus 8. dist. 86. testans non posse meretricibus pecuniam recipi absque gravissimo peccato, cum nempe in pretium perpetui criminis tribuitur. Et sic tenent Glossa ibidem verb. Meretricibus: & mordicus defendit Pontas in dictionario Casuum Conscientie verb. Promissio, caus. 8. & 9. ubi in fine casus octavi sic expresse habet: "Repudiandam penitus errorum eorum opinionem censemus, qui tenent, licet hujusmodi promissiones non obligent ante facinus perpetratum, isdem tamen obligandi vim annecti, eo ipso, quod crimen executioni demandatum est; quin immo persuasum prorsus animum habemus abhorrendas penitus, atque habendas esse execrationis hujusmodi promissiones, & stipulationes, & tamquam nullas esse considerandas; quemadmodum irritæ re ipsa sunt omnibus cum ecclesiasticis, tum civilibus legibus, ut modo observatum, ac probatum est." Et in fine casus non sic concludit: "At isti laudato-

rum Auctorum opinioni non possumus subscribere, quando namque quosdam casus sibi fingere amant, in quibus non esse illicitum supponunt nec promittere, nec dare in pretium turpis alicujus actionis perpetrandæ, falsam omnino hypothesim comminiscunt, quemadmodum patet ex testimoniis allegatis, quin etiam tamquam certissimum habemus, ex eorum opinione fenestram certissimum patefieri ad plurimam nequitiam, quoniam ad audenda quæque, & ad perscrutanda, que sunt in luxuriam, inde via redditur expeditior." Hæc ipse. Tum quia datio, & acceptio pro re turpi patra, est novum peccatum & approbatio peccati commissi. Qui enim dat, vel accipit propter peccatum commissum, videtur de novo approbare, atque in eo complacere, quod utique mortale est; Tum etiam, quia promissio illa de re turpi patrandæ fuit nulla, nec ullo modo obligans, utpote peccaminosa, ut patet ex supra adductis Juribus; ergo nec est ex obligatione servanda.

Immo supra citati Doctores volunt insuper, quod acceptum ob turpem causam ex conventionale facta obligante ad operis pravi executionem, sit restituendum. Sic expresse Henno loc. cit. quest. 5. conclus. 1. cum Navarr. Adriano, Medina, Neessen. Le Droux, & aliis ibi citatis, argum. supra adductis Juribus. Et eorum ratio est, quia conventio illa ante operis impletionem est nulla, eo quod non possit esse vinculum iniquitatis, ut concedunt omnes, ergo etiam nulla est impleto opere, & consequenter acceptum ratione talis conventionis debet restitui. Probatur consequentia ex cap. Non firmatur 18. de Regul. Juris in 6. ubi expresse dicitur: Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit; Atqui ex supra allegatis Juribus conventio illa nulla est ante operis impletionem, ergo etiam nulla erit post operis impletionem: Tum quia conventio illa, utpote contractus onerosus, debet obligare tam promissarium, quam promittentem; aliis si obligaret solum promittentem, esset contractus gratuitus; Atqui non obligat promissarium, cum nemo obligari possit ad peccandum; ergo non obligat promittentem, & consequenter est nulla ex parte utriusque; adeoque acceptum ex tali conventionem est restituendum: Et sic videtur sensisse etiam Sanctus Augustinus Ep. 163. alias 54. ad Macedonem, in ubi sic expresse habet: "Venerabilis tamen est, si justitia sinceris consulari, justitiam dicitur Advocato: Redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetit, iniquitati adfuit, Judicem sefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti." Et paulo post explicatam obligationem Advocati in prædicto casu sic ait: "Quis tamen Advocatus, aut ex Advocato ita vir optimus facile reperitur, qui suscepto suo dicat: Recipe, quod mihi, cum tibi male adesse, dedisti, & redde adversario tuo, quod, me agente, inique abstulisti; & tamen quem prioris non recte vite redissime ponet, etiam hoc facere debet, ut si ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolite habere mercedem."

Communior tamen Doctorem sententia tenet, quod licet promissio facta femine pro usu sui corporis sit illicita, tamen promissum, opere completo, sit conferendum: Nec femina tenetur receptum ob talem usum turpem sui corporis postea restituere; Sic Lugo distinct. 18. sect. 3. num. 59. quoad primam partem cum Vasquez, Turrian. Soto, Aragonio, Cajetan. Covarr. Molina, Sanchez ibi citatis, dicens hanc esse communem, & veram sententiam, & num. 46. quoad secundam partem cum Lessio, Molina, Cajetan. Alons. Richard. Gabriel. Silvestro, Angelo, Salonio, Silvo, Tannero, Rebel. Villalobos, dicens pariter hanc esse communem, & veram sententiam. Sic tenet etiam cum pluribus aliis ibi citatis, La Croix lib. 3. part. 2. n. 289. & 290. Rosignolus cum aliis ibi citatis de restitutione 11. disp. 1. §. 6. num. 2. & 9. Sporer cum multis ibi citatis tom. 2. tract. 5. in VII. & X. Præcept. Decalog. cap. 5. num. 135. & 139. Molina, Sanchez, Lessius, Diana, Tamburini & plurimi alii. Et ratio prima

mæ partis est, quia ille usus sui corporis, quem femina impudica fornicario concessit, est pretio æstimabilis ratione utilitatis, vel delectationis respectu fornicarii, & ratione periculi, & laboris respectu femine concedentis: talem turpem usum sui corporis, adeoque si fornicarius pretium promisit, & femina impudica rem pretio æstimabilem, & vendibilem, utpote ei commodam, vel delectabilem possit, non est unde ab obligatione solvendi promissum liber evadat: Tum quia si fornicarius negare posset pretium pactum pro tali turpi usu sibi concessio, seu vendito, negare etiam posset juvenis matrimonium promissum puellæ sub certa promissione matrimonii deforæ, quod omnes negant, & insuper dicunt posse ad id etiam in foro externo compelli, adeoque &c. Ratio autem secundæ partis est, quia femina receipt tale pactum pretium, concessio, seu venditio usu sui corporis fornicario, qui usus cum sit commodus, & delectabilis fornicario, & periculoso ipsi femine, dignus est pretio, adeoque talis femina licite retinere potest dictum conventum, & receptum pretium, nec tenetur illud restituere, cum non sit receptum contra Justitiam, sed potius secundum illam.

23 Immo meretrix nedum conventum, & receptum pretium pro concessio turpi usu sui corporis licite recipit, & retinet; sed etiam omni Jure etiam civili in foro externo illud exigere potest, si non ei a fornicario solvatur; Sanctus Thomas 2. 2. quest. 62. artic. 5. & plurimis congestis Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 8. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 34. Diana part. 2. tract. 2. miscellan. resolut. 40. Sporer loc. cit. num. 136. & ipso teste Communis aliorum, per text. in leg. Item 4. §. 3. ff. de condit. ob stuprum &c. ibi: "Sed quod meretrici datur, repeti non potest, ut Labeo, & Marcellus scribunt, sed nova ratio, non ea, quod utriusque turpitudine versatur, sed solius dantis: illam enim turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix." Et ratio est, quia meretrix ita cum fornicario convenit de pretio sibi solvendo pro usu ei concessio, seu venditio sui corporis, ex cap. autem Contractus 85. de Regulis Juris in 6. Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. Nec pretium illud exigitur, & accipitur pro ipso peccato formali, quod cum nihil sit, neque licite possibile, non est vendibile; sed exigitur, & accipitur pro actu ipso materiali, quatenus fornicario utilis, & delectabilis est, & meretrici aliquo modo laboriosus, & periculosus, qui actus, cum sit quid naturale, & pretio æstimabile, nec alteri gratis debuit, est veluti conductus a fornicario, adeoque pretio solvendus.

24 Femina recipiens munera sibi ab amasio liberaliter oblata ex cognita ejus libidinosâ intentione, quamvis graviter peccet, etsi ipsa nihil mali intendat, cum sic foreat impurum ejus amasio, ac desiderium, & spem copulæ aliquando obtinendæ, tamen si nullum pactum explicitum, aut implicitum interessit, non tenetur restituere; sed licite retinere potest, quia sunt sibi liberaliter data, & sibi imputare debet nimis credulus amator, quod plus speraverit, quam debuerit. Sporer loc. cit. num. 144. Lugo loc. cit. num. 49. Molina tom. 3. disput. 735. num. 3. Rebel. de Justitia part. 1. lib. 3. quest. 7. num. 6. Joannes Valerius in differentiis utriusque fori verb. Restitutio, differentia 34. Henno loc. cit. quest. 6. conclus. 1. in fine, & alii passim. Si autem femina receperit talia munera ex pacto explicito vel implicito pro usu sui corporis concedendo, quem postea denegat, tenetur restituere, quia peccat contra Justitiam retinendo pretium absque concessione usus sui corporis, pro quo solum ab amasio datum est munus, seu pretium. Sic citati Doctores, & alii passim.

25 Accipiens pecuniam a demone, si sciat, quod demon eam furatus sit alicui, ut sibi daret, tenetur restituere: si autem nesciat, spectato Jure naturæ, potest ipsam retinere, cum demon poterit eam accipere ex fundo maris, aut aliunde, ubi erat derelicta, ac ad nullius spectans dominium. Sic Diana p. 10. tract. 15. resolut. 48. La Croix lib. 3. part. 2. n. 292. & alii. De Jure autem po-

sitivo civili per sententiam Judicis debet applicari fisco quicquid per artem magicam, aut legibus prohibita acquiritur. Lugo tom. 1. disp. 6. num. 112. La Croix loc. cit. & ipso teste Communis aliorum, per text. in leg. Unica, cod. de Thesauris. (Vide verb. Superstitio.)

26 Casus hic est metaphysicus; nec enim demon furari à Deo permittitur, nec si permittitur, licet resciri facile poterit.

27 Quomodo potest à Theologo dici hic casus metaphysicus, cum de ipso passim traçant Auctores, & de acquisitis per artem magicam disponant leges? Quod certe non fieret, si non supponeretur demonem furari quandoque à Deo ob sua justa & inscrutabilia judicia permitti, & hoc permittente, posse resciri.

28 Accepta per modum pretii pro actione debita ex Justitia restitui debent; Communissima. Et ratio est, quia tunc venditum est invendibile, cum solvens Jus habeat ad actionem illam independentem ab omni pretio, & recipiens aliquid per modum pretii pro illa actione vendat id, quod non est suum, sed alterius; Res enim, quæ ex Justitia debetur alicui, perinde est, ac si esset illius: Unde coactus dare pretium pro ipsa, cogetur emere rem suam, ut redimeret injustam vexationem; adeoque tale pretium injuste acceptetur, & consequenter esset restituendum ex debito Justitiæ.

29 Dicitur autem notanter Accepta per modum pretii, nam accepta per modum gratuita, & omnino libera donationis non sunt restituenda, cum liceat unicuique per leges non impedito rei suæ dominium in alium transferre. Communis.

30 Hinc Justitiam violant cum onere restitutionis Ministri Principum, Judices, Thesaurarii, Notarii, Tabelliones, & alii similes Officiales, qui pro obediis suis officiis, vel ultra taxatum pretium, vel supra constitutum à Principe, vel Republica stipendium, munera exigunt à particularibus, ne vixent, ne alios preferant, ne solutionem, aut expeditionem retardent, & hujusmodi. Communis. Dicit tamen Sporer loc. cit. numer. 128. quod supradicti, si à Republica conducti sint ad ea munera absque sufficienti stipendio, possint juste mercedem proportionatam exigere usque ad sufficientem stipendium, secundum circumstantias personarum & locorum &c. prudenter judicandum.

31 Item Justitiam violant cum onere restitutionis uxores pretium exigentes à maritis, ut debitum conjugale reddant, ne adulterium committant; latrones, ne hominem occidant; depositarii, ut depositum restituant; rerum inventores, ut eas suis dominis restituant; debitores, ut debitum solvant; detractores, ut famam aut honorem ablatum reparent; & alii similes. Communis. Quid autem in specie de Judice circa munera recepta? Vide verb. Judex.

32 Accepta per modum pretii pro actione debita ex quacunque alia virtute præter Justitiam non sunt restituenda ex debito Justitiæ; Lugo disp. 18. sect. 3. n. 67. Sotus, Bannes, Diana, Tambur. Peischechar citati, & secuti à La Croix lib. 3. part. 2. num. 265. Sporer tom. 2. tract. 5. in VII. & X. Præcept. Decalogi num. 132. ubi dicit de hoc non posse dubitari: Tunc enim non peccatur contra Justitiam, cum nec dando, nec accipiendo alicui fiat injuria, adeoque id, quod tunc accipitur, non est restituendum ex debito Justitiæ.

33 Dicitur autem notanter ex debito Justitiæ, quia licet non sit in tali casu restituendum ex debito Justitiæ, potest tamen esse obligatio restituendi ex debito alterius virtutis: Si quis enim, verb. gr. voto debeat ecclesiæ crucem centum aureorum, & nolit votum adimplere, nisi ab ipsa ecclesiâ, vel ab alio accipiat viginti aureos, tunc tenetur restituere danti illos viginti aureos, non quidem ex Justitiâ, quam non violavit, sed ex virtute Religionis, quæ illam obligat ad totum votum adimplendum, & promissum Deo integre reddendum, quod non faceret, nisi restitueret illos viginti aureos, quia illos retinendo non integre donat, sed partim vendit respectu talis pretii accepti, ut dictam crucem

ecclesie offerat. Similiter, quia ex virtute Religionis tenetur beneficiarii dare superflua in elemosynam, si aliquid recipiant ad hoc, ut suo debito satisfiant, tenentur restituere, quia retinendo illud acceptum non satisfaciunt precepto dandi elemosynam integre ex omnibus superfluis, & sic de similibus. Et contra tamen si quis pretium accipiat, ut audiat Missam, communice & hujusmodi, ad quae obligatur ex eadem virtute Religionis, non tenetur illud receptum pretium restituere, sicuti nec tenetur restituere pretium acceptum, ne se inebriet, ad quod tenetur ex virtute temperantiae, & ne fornicetur, ad quod tenetur ex virtute castitatis, & hujusmodi: In his enim, & similibus non tenetur neque ex virtute religionis, temperantiae, aut aliarum virtutum, restituere pretium acceptum pro earundem observantia, quia tale pretium receptum non impedit, quod opus ex ipsis virtutibus debuit ponatur secundum integram suam substantiam, & secundum omnes qualitates debitas; sicuti impedit in primis aliis allatis exemplis de emittente votum donandi crucem centum aureorum ecclesiae, & de Beneficiariis adstrictis dare superflua in elemosyna; Sic recte tradit Lugo loc. cit. num. 70. Sporer loc. cit. num. 132. & alii.

Item licet quis non tenetur ad restitutionem talis recepti pretii ex debito Justitiae, potest tamen obligari ex dispositione Juris positivi inhabilitantis ad acquirendum dominium talis pretii; Jus enim positivum in pluribus obligat ad restitutionem, & signanter ad restitutionem pretii simoniae accepti in materia beneficiorum ecclesiasticorum, cap. De hoc 11. de Simonia. Item ad restitutionem pretii simoniae accepti in materia electionum ad dignitates, & officia ecclesiastica. Extravagant. Cum detestabile 2. de Simonia inter Communes. Item ad restitutionem pretii simoniae accepti pro ingressu in Religionem. Extravagant. Sancti 1. de Simonia inter Communes. Item ad restitutionem pretii simoniae accepti pro administratione Ordinis, aliorumque Sacramentorum, & Sacramentalium; De Jure enim divino haec sunt gratis administranda; Martini 10. Gratias acceptis, gratis date; Unde si pro tali administratione aliquid accipitur, est restituendum. Item ad restitutionem pretii accepti ab Ecclesiasticis Visitatoribus ratione Visitationis: Ipsi enim graviter peccant, & ad restitutionem tenentur ex speciali dispositione sacrorum canonum, & Concilii Tridentini sess. 24. cap. 3. de ref. & sic de aliis. (verb. Simonia.)

Ordinarie loquendo Restitutio est facienda ei, a quo aliquid injuste acceptum est, vel cui damnum illatum est, si adhuc vivus sit, vel ejus heredi, si sit mortuus. Communissima, nec indiget probatione, cum satis de se clare pateat.

Dicitur notanter Ordinarie loquendo, quia in pluribus casibus restitutio non est facienda domino, & signanter res accepta a possessore justo, & bonae fidei, est ipsi restituenda, & non domino. Unde si sit accepta res commodata, depositata, oppignorata, locata, & hujusmodi, restituenda est commodatario, depositario, oppignoratorio, locatario, & hujusmodi, quia cum isti juste possideant rem, & eam custodiant, vel ipsa utantur, eisdem proprie inferitur injuria per ablationem ejusdem rei, cum injuste priventur sua possessione, & usu ejusdem rei; adeoque est ei restituenda, aliter si restituitur domino, & justus possessor patitur inde aliquid damnum, est de omni interesse indemnizandus. Communis.

Item furans a Molitore farinam, a Fullone pannum, a Sartore vestem, & hujusmodi, tenetur ipsis, & non domino restituere; quia si restitutio fieret domino, exponeretur illi periculo amittendi pretium laboris, & insuper periculum esset, ne ob praesumptam incuriam in custodiendis rebus sibi traditis, eorum officina desereretur: Unde si ex tali restitutione facta dominus eveniret illis aliquid nocuum, essent ipsi indemnizandi; Communis.

Item res ablata a tutoribus, vel curatoribus, est ipsis restituenda, & non pupillis, aut minoribus, seu

furiosis, & amentibus, quia licet isti sint rei restituendae domini, secundum Jura tamen non habent administrationem; Communis, per text. in §. Furiosus 8. & §. Pupillus 9. Instit. de inutilibus Stipulationibus, l. Obligari 9. ff. de auctoritate, & consensu tutorum & curatorum, cum similibus.

Item surripienti a Religioso, uxore, filiofamilias, & similibus res in usum ipsis legitime concessas, tenetur ipsismet restituere, non autem monasterio, marito, patri, & hujusmodi nisi certus sit reddendas esse postea ipsis usurariis, quia usurarii injuste privantur Jure quod legitime habebant ad usum rerum illarum; Si autem a Religioso, uxore, filiofamilias & similibus auferatur aliquid, quod non est ipsis legitime concessum in usum, seu administrationem, tunc non ipsis est restituendum, sed monasterio, marito, patri, & hujusmodi, aliter si supradictis restituitur, & inutiliter dissipatur, esset obligatio secundae restitutionis; Communis.

Quare non etiam monasterio, marito, patri &c. id aliquibus non probatur.

At ibi me est assignata clara ratio, quare, & quando debeant dictae res restitui Religioso, uxori, filiofamilias, & hujusmodi, & quando non ipsis, sed monasterio, marito, patri &c. Videat ibi eruditus Lector, & pronunciet.

Item non est res ablata restituenda domino, quando praevidetur ipsi, aut alteri in spiritualibus, & temporalibus obtutur: Unde non est ei restituendus gladius, si praevideatur ipse, aut alter occidendus; Non est ei reddenda clavis adulterina, si praevideatur ea usurus ad furandum, & sic de similibus. Sic non est restituenda pecunia domino volenti cum ea corrumpere mulierem, luxuriose vivere, injuste litigare, simoniam committere, & similia in perniciem spirituales sui, vel alterius perpetrare; sed est differenda ipsi restitutio, donec sint remota talia pericula. Communis.

Item non est facienda domino restitutio, quando est multum distans, adeo ut non possit res restituenda ad ipsum transmitti, nisi cum expensis excedentibus, vel adaequantibus valorem ipsius rei: Tunc enim expectanda est commodior restitutio occasio, quae si desperetur, est facienda restitutio suis propinquis, si habeat, vel in eorum defectu pauperibus, nomine quorum veniunt Ecclesiae, hospitalia, monasteria indigentia, celebrationes missarum, & alia similia pia opera. Communis.

Expectanda quidem commodior occasio, & si haec desperetur, restitutio facienda est omnimode domino rei ablata, aut propinquis.

Sed ego jam tradidi, quod si desperetur commodior occasio, restitutio facienda est suis propinquis, si habeat, & solum in eorum defectu pauperibus, vel locis piis, cum hac tamen advertentia, quod adveniente restituendi domino commodiori occasione, seu ipso comparante, & res adhuc extant in individuo, debent ad pauperibus, vel loco pio restitui; & si fuerint consumptae, & pauper, seu locus pius inde factus sit ditior, debet restitui id, in quo factus est ditior, ut in similibus trado ego ibi sub n. 53. Cum quantis autem impensis teneatur fur restituere rem furatam, cum in hoc variae sint sententiae Auditorum, attendendae sunt pro certa regula omnes circumstantiae, nempe quantitas, seu valor rei furatae, paupertas, & necessitas tum furis, tum domini rei, distantia, seu mutatio locorum, magnitudo damni tam creditoris, quam debitoris formaliter & comparative ad subiectum: An creditor hic & nunc sit, vel non sit rationabiliter invitatus circa omissionem vel dilationem restitutionis, & hujusmodi.

Quando non constat de vero domino, seu legitimo rei possessore, facienda est ad ipsum inveniendum diligens inquisitio juxta bonorum qualitates, id est, major, vel minor pro gravitate, vel veritate rei, quia antequam sit facta talis inquisitio, non debet haberi dominus pro ignoto: Hinc si res inventa sit magni valoris, verb. grat. bursa cum 100. aureis, debet fieri inquisitio, non solum in loco, ubi reperta est, sed &

in pagis, & civitatibus vicinis; immo etiam in remotis, in quibus adest probabilitas ipsum reperendi, faciendae quoque aliquoties promulgetur & cathedra, quod affigatur scheda ad locorum compita id notificans, aut quod imprimatur in novellis publicis; Si autem res inventa sit parvi valoris, ut annullus ordinarius, bursa cum paucis nummis, sufficit, quod promulgetur in ecclesiis, seu scholis, aut vicis loci rei inventae. Sic Doctores communiter.

Si pro tali inquisitione essent ab inventore rei faciendae aliquae expensae, disumendae essent ex ipsis domini ignoti bonis, quia Jus tum civile, tum canonicum nullum gravamen imponit bonae fidei possessorij, unde possessor bonae fidei deducere potest expensas factas pro rei conservatione, & pro ignoti domini inquisitione, ut patet ex leg. Possessor, ff. de petitione hereditaria. Secus autem dicendum est de possessore male fidei, ut si quis non ex inventione, sed ex injusta actione haberet aliena bona, tunc enim expensas pro inquisitione domini deberet facere ipsemet injustus possessor, & debitor, quia Justitia postulat, ut nullum incurrat dominum nocuum propter alterius injustitiam, cum peccata suos debeant tenere auctores; leg. Sancimus 22. ff. de penis, cap. Quaesivit 2. de his, qui sunt a majori parte Capituli. Nec debeat aliquis alterius odio praegravari, & expresse statutum in cap. Non debet 22. de Regul. Juris in 6. & rem, quae culpa caret, in damnum vocari non conveniat, ut praecise habetur in cap. Cognoscens 2. de Constitutionibus, (Vide lit. B pag. 428. num. 10. & lit. I pag. 37. numer. 122.)

Si dominus reperitur, tenetur inventor ei restituere, Communis, textu expresso in cap. Si quis 6. & leg. Multi 8. caus. 14. quest. 5. Vide verb. Dominium, art. 3. num. 17.

Si post factam dictam diligentiam non reperitur dominus rei, seu pecuniae inventae, sunt in pauperes, seu ad alium pium usum applicandae; nisi ipse inventor pauper sit, quia tunc possit sibi reservare in toto, vel in parte, considerata quantitate rei inventae, ac inopia sua. Vide dict. verb. Dominium, a num. 18. ad num. 20.

Opposita tamen sententia defenditur a plurimis classicis Doctoribus. Vide ibi, num. 21.

Si res inventa derelicta fuerit, fit inventoris, qui primo occupat. Vide ibi, num. 22.

Si res inventa sit de illis, quae nunquam dominum habuerunt, fit primo occupantis. Vide ibi, num. 23.

Merces, aut quaevis alia bona reperta in litore maris, aut fluminis post naufragium, non sunt primo capientis, aut Fisci, sed domino restitui debent. Vide ibi, num. 24.

Piscantes bona naufraga in mari, tenentur restituere domino, sicuti debent domino restitui ea, quae eripiuntur ex incendio, vastatione, inundatione, &c. & etiam oves, aut alia animalia ex lupi faucibus erepta. Vide ibi, num. 25.

Habens ex delicto bona incerta, debet restituere locis sacris, vel pauperibus, ut de pretio usurario definit Alexander III. in cap. Cum tu 5. de usuris, ibi: "Qui siye ante, siye post interdictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt per poenam, quam statuitur in Concilio, eas his, a quibus extorserunt, vel eorum haeredibus restituere, vel his non superstitibus, pauperibus erogare." Si autem iniquus detentor sit ipsemet aequae pauper, & egens, ac alii pauperes, quibus restituere deberet, aut similiter pauperes consanguineos habeat, licite sibi applicare, aut consanguineis conferre potest etiam propria auctoritate, sine praescripto Episcopi, vel Parochij, in toto, vel in parte, considerata quantitate bonorum detentorum, & sua, vel consanguineorum inopia; dummodo tamen talis inopia sit evidens & certa. Sic La Croix lib. 2. part. 2. num. 94. cum S. Thoma, Scoto, Navarr. Gabriel. Medina. Layman, Molina, Vasquez, Sanchez ibi citatis, alique multi cum Illung, tom. 4. d. 2. numer. 250. Sporer tom. 2. tract. 4. num. 106. ubi dicit, FERRAS. BIBLIOTHEC. TOM. VIII.

quod ex communi sic nocet Molina disp. 817. & Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 16. Et ratio est, quia inopia certa & evidens, est etiam pro ipso iniquo detentore, vel suis consanguineis sufficiens causa retinendi, cum talis, vel tales non sint deterioris conditionis, quam alii pauperes; insuper Lugo disp. 20. num. 8. Illung. loc. cit. num. 191. & alii addunt, iniquum detentorem posse etiam retinere, & sibi applicare, si debitis ultra vires gravatus esset, quia tunc re ipsa pauper, & inops esset: cavere tamen debet similis injustus debitor, ut recte monent supradicti Doctores, ne in propria causa caeco judicio decipiatur, & fraus absit; Vix enim sibi retinere poterit, nisi sit adeo evidens ejus necessitas, ad inopia, quae etiam eum alias a restitutione excusaret; Alioquin enim aperiretur via ad furandam aliena sub iniqua spe, quod domino postea non comparante, pretextu inopiae non teneretur fur ad restitutionem.

Si facta debita, & sufficienti inquisitione, & domino non comperito, habens bona incerta, ipsa distribuerit pauperibus, vel sibi aequae pauperi retinuerit, quamvis postea comparet dominus, nec ipse, nec alii pauperes teneri videntur aliquid restituere, si ipsa bona fide jam consumperint, nec ex ipsis ditiores sint facti. Sporer loc. cit. num. 104. & ipso teste Communis aliorum. Si autem, comparante domino talia bona necdum sint consumpta, sed adhuc extant in individuo, debent ad pauperes, vel loco pio, cui fuerint applicata, restitui; & si fuerint consumpta, & pauper, seu locus pius inde sit factus ditior, debet restitui id, in quo factus est ditior; Et ratio est, quia prior distributio videtur facta hac conditione, si dominus non comparuerit; alioquin negotium ejus esset male gestum, adeoque si dominus comparet, sunt ei dicta bona restituenda, cum talis distributio evadat invalida, ex quo actus sub conditione celebratus, conditione non completa, nullum operetur effectum, arg. §. Ex conditionali Stipulatione, Instit. de verb. obligatione, & leg. unica, §. Sic autem, Cod. de caducis tollenda. (Lit. C pag. 177. n. 46.) Tum quia nemo debet ex re alterius discedere, cap. Locupletari 48. de regul. Juris in 6. ibi: Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel factura. (Lit. A pag. 110. num. 83. in novis. & lit. E. 242. numer. 25.) Ita Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 7. Molina disp. 740. Diana part. 11. tract. 7. resol. 11. Henno loc. cit. quest. 4. conclus. 2. res. 3. Felix Potestas loc. cit. n. 2718. La Croix loc. cit. n. 95. cum Layman, Castr. Peeschecher ibi citatis, & alii contra Sotum, Henric. Petrum Navarr. Cajetan. Bonacin. & alios cum Lugo disp. 31. num. 102. dicentes non esse obligationem restituendi, etiamsi res adhuc extaret, quia pauper, vel locus pius acquisivit dominium, cum ei in elemosynam erogata fuerit, quando dominus non poterat censeri rationabiliter invitatus.

Nota. Si res ablata adhuc extet, ubicunque sit, clamat ad dominum.

Si ante distributionem non praecessit debita diligentia pro inveniendae domino, & talia bona adhuc existant apud pauperem, vel locum pium, hi tenentur illa restituere, & in horum defectu ille, qui sine dicta debita diligentia distribuit, quia tunc transferri non poterat dominium, cum dominus esset rationabiliter invitatus, & qui sic distribuit, injuriam fecit vero domino, injuste privando eum spe recuperandi bona sua; Culpa enim sua dominum ignoravit, & ob culpam alterius non debet quis privari suis bonis; cap. Non debet 22. de Regul. Juris in 6. ibi: Non debet aliquis alterius odio praegravari, cap. Cognoscens 2. de Constitutionibus, ibi: Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit; Peccata enim suos debent tenere auctores; leg. Sancimus 22. de penis, cap. Quaesivit 2. de his, qui sunt a majori parte Capituli; Communis. (Vide sup. num. 43.) Et si dicta bona fuerint tali casu bona fide consumpta ad pauperibus, vel loco pio, nec ex eis factus sit ditior, tunc pauper, seu locus pius ad nihil tenetur; sed solus ille restituere tenetur, qui sine debita diligentia distribuit, cum ipse solus